

nicavimus vivis, nec communicemus defunctis, et ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesie reconciliati fuerint. Ex qua regula ipsemet Innocentius *ibid.* constituit, excommunicatum in Ecclesiastico cæmeterio sepeliendum non esse; imò et sepultum esse exhumandum, si cadaver ipsius ab aliis discerni queat.

XVII. Igitur ab Ecclesiastica sepultura arcentur 1. excommunicati excommunicatione majori; id quod ex *Extravag. Martini V. Ad evitandum* ad eos tantummodo spectat excommunicatos, qui denunciati sunt, vel publicè Clericos pereusserint.

2. Nominatim Interdicti, quippe qui et ipsi ab Ecclesiæ ingressu speciatim exclusi sunt: *Cap. 12. hoc tit. Cap. 17. de Verbor. significat.*

3. Hæretici, Schismatici, Apostatæ: nimirum ubi hoc nomine sint publice convicti, vel denunciati, aut publice hæresim profiteantur, vel ab Ecclesia recesserint, (**) eorumque fautores, ac receptatores, defensores, et credentes: *Cap. 13. de Hæreticis. §. 5. et Causs. 24. Quest. II. per totam. (*)*

4. Judæi, Pagani, Infideles omnes: atque etiam infantes mortui sine baptismo: *Can. XXVII. de Consecr. Dist. I.*

XVIII. His quoque Ecclesiastica sepultura deneganda est, quos in peccato mortifero decessisse verò satis est simile. Hujusmodi sunt 1. qui sibi mortem conciverunt, nisi constet id furore adactos egisse: *Can. XII. Causs. 23. Q. V. (**)* et præf. Syn. Bracar. I. *Cap. XVI. alias Can. XXXIII. (*)*

2. Item usurarii manifesti: imò, hi sepulti exhumandi sunt, si eorum ossa ab reliquorum ossibus discerni possunt. Excipe, ubi constet eos ante mortem injustæ usurarum acceptionis pœnituisse; adhæc et cautionem de restituendis usuris præstitisse: *Cap. 2. de Usuris in VI.*

3. Qui præceptum annuæ confessionis, et paschalis communionis non impleverunt: *Cap. Omnis utriusque sexus de Pœnit. et Remiss. (**)* et Syn. Vallis-olæ. *Cap. XXVIII. (*)*

4. Mortuis in Torneamentis; porò his licet pœnitentiam poscentibus non denegetur; adhuc tamen Ecclesiastica deneganda est sepultura: *Cap. I. de Torneamentis.*

5. Pugnantes in duello, sive ipsi duellantes, eorumque patrini: Concil. Trident. *Sess. XXV. Ref. cap. 19. (**)* et Syn. Arand. ad Durium an. 1473. *Cap. XX.* quia et plures in invitantes, et acceptantes duella jure civili pœnæ indictæ sunt: *Leg. X. et XII. Tit. VIII. Lib. VIII. Novæ Recop. et Sanct. I. et II. Tit. VIII. Lib. VIII. vulgò Autos Acordados. (*)*

6. Raptores, et Ecclesiarum violatores, sive qui violenter insurrexerint in rapinas, vel in Ecclesiarum violationes. Hujusmodi criminosi in extremis agentes, et peccatum detestantes, viaticum quidem accipiunt, haud verò Ecclesiasticam sepulturam, nisi de restituendis ablatis cautionem dederint: *Cap. 2. de Raptoribus. (**)* et *Compil. Tarracon. Lib. V. Tit. VIII. cap. 1. (*)*

7. Manifesti, et publici peccatores, qui sine pœnitentia decesserunt: *Rituale Rom. de Exsequiis.*

8. Fures, et Latrones in fragranti crimine occisi: *Cap. 2. de Furtis.*

9. Monachi mortui cum pecculo: *Cap. 2. et 6. de Statu Monachorum.*

10. Demùm corpora suspensorum in patibulo ad exemplum, et terrorem aliorum manent insepulta, et omnium oculis exposita à bestiis, et ære consumenda. Verùm id non ex Ecclesiæ legibus, (**) quæ expresse suspensorum cadaveribus sepulturam indulgent: Syn. Wormat. an. 772. *Cap. de his qui suspenduntur in*

patibulis; ()* at jure Romanorum: *Leg. I. Dig. de Cadaver. punitorum.* Quinimmo ex *Leg. II. ibid.* requirebatur omnino consensus Principis, ut sepeliri possent. Verùm consuetudo invaluit, ut à Judice peti possent. Neap. jus Romanum hac in re vigeat: at sensim factum est primum ut eorum ossa ex loco profano, ubi jacerent, bis in anno colligerentur ad locum sacrum religioso comitatu deferenda; dein tandem mos inductus est, ut statim è patibulo ablata ad Ecclesiam deferantur inhumanda. (**) In Hispania jus Romanum diu quoque viguisse videtur, et confirmatum etiam à Syn. Bracar. I. laud. *Cap. XVI. alias Can. XXXIII.* iidemque mores inducti sunt, colligendi bis in anno ossa ultimo supplicio adfectorum ad ea in loco sacro sepelienda; dein verò in toto Regno, excepta civitate Valentina, æque usus invaluit, tradendi eadem die Ecclesiasticæ sepulturæ; at licentia à Governatore Regii Tribunalis ad criminalia deputati, vel à Judice sententiam exequirente, obtenta: id quod hodierna praxis servat. Tandem ea suspensorum cadavera, quorum discepta membra ad publica viarum loca appenduntur, semel in anno Sabbato ante dominicam Passionis ad sepulturam efferuntur. (*)

CAPUT DECIMUS QUINTUS.

DE MONASTERIIS HOSPITALIBUS, ET LAICORUM CONFRATERNITATIBUS.

I. De Monachis, et Regularibus satis jam *Lib. I. Tit. ult.* actum est. Tantummodo de Monasteriis, ac de Episcoporum in eadem auctoritate juvat hic pauca dare: *monasterium* igitur propriè locum significat, ubi homines solitarii degunt; at generatim pro quocunque loco concepto usurpatur, ubi plures ad certam constitutam regulam communem vitam agunt: qui, uti *ibid.* explicavimus, pro diversa Instituti sui ratione *Monachi, Mendicantes, Canonici Regulares, vel Clerici Regulares* dicuntur.

ARTICULUS I.

QUENAM IN NOVA MONASTERII ERECTIONE SERVANDA SUNT.

II. Illa semper Disciplina in Ecclesia viguit, ut nullum exstrui posset Monasterium, nisi prius impetrata Episcopi Diocæsani venia: Concil. Chalced. *Can. IV. (**)* recepto in Syn. Barcinon. an. 450. *Can. X. (*)* Concil. Agath. an. 506. *Can. XXVII. (**)* confirmato in Syn. Ilerd. an. 546. *Can. III. (*)* Concil. Epaon. an. 517. *Can. X. Justin. Novell. V. cap. 1. (**)* et Alphonsus Sapiens *Leg. I. Tit. XII. Part. I. (*)* et Trident. *Sess. XXV. de Regularibus cap. 3.* Porò plura hac in re Episcopis cavenda sunt, 1. ne nova Monasteria cum aliorum detrimento exstruantur: qua de re Clemens VIII. Bulla *Quoniam ad Instituta,* et Gregorius XV. Constitutione *Quum alias* interdixerunt Episcopis novi Monasterii erigendi facultatem impertiri, nisi prius advocatis, et auditis Prioribus, vel Procuratoribus conventuum loco, ubi novum exstruendum est Monasterium, necnon et aliis per quatuor millia passuum circumjacentium, indè constiterit novum siue veterum incommodo bene erigi posse.

2. Nullum Monasterium, aut cujuscunque ordinis, vel instituti domum ædificari sinant, nisi ubi in eo duodecim saltem monachi, sive religiosi degere, et ex relictibus, consuetisque fidelium elemosynis sustentari quiverint: Gregorius XV. *ibid.*

3. Parochum quoque, intra cujus Parochiæ limites novum exstruendum est Mo-

nasterium, Episcopum audire, ejusque consensum exquirere oportet: neque enim nisi salvo Ecclesiarum Parochialium jure, novas Ecclesias, et Monasteria ædificanda esse post Glossam in *Cap. 1. de Novi operis nunciacione* tradit Panormitanus ad *Cap. 1. de Ecclesiis ædificandis*.

4. Demum ex decreto Trident. *ibid. Cap. 5.* in erectione monasteriorum Monialium speciatim Episcopo cavendum est, ne extra mœnia urbis, vel oppidi constituantur malorum hominum prædæ, aliisque facinoribus exposita. Quinimmo *ibid.* Episcopis, aliisque Præpositis injungitur, ut si ita expedire videbitur, Sanctimonialia ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur. (**). In Hispania Regis quoque licentia necessaria est pro novis erigendis Monasteriis: *Sanct. IV. §. 22. Tit. I. Lib. IV.* vulgò *Autos Acordados*.

ARTICULUS II.

MONASTERIA JURE COMMUNI EPISCOPO SUBJECTA.

III. Monasteria jure communi Episcopo subduntur, in cujus Diœcesi posita sunt: (**). *Syn. Hispal. II. Can. XI.* Legion. an. 1012. *Can. III.* Cojacen. an. 1050. *Can. II. (*)* et *Cap. 8. de Religiosis domibus*; et nonnisi ex privilegiis pedetentim ab Episcopi potestate eximi cœperunt. Id quod de omnimoda exemptione haud intelligas. Quum enim Episcopi potestas tria prorsus spectet; scilicet, quæ sunt ordinis, quæ sunt jurisdictionis, quæ legis sunt diœcesanæ; Monasteria à lege quidem diœcesana exempta sunt, haud verò à potestate ordinis, nec omnino à potestate jurisdictionis. (**). A lege quidem diœcesana exempti sunt, quoniam eos, ut plurimum, non ligant leges, quæ ad rectam Diœcesis gubernationem eduntur ab Episcopo. A potestate Ordinis minime sejuncti sunt, eo quòd, quantum ad externam Officii Ecclesiastici celebrationem, et Sacramentorum ministrationem Episcopo præcipienti obedire tenentur. A potestate jurisdictionis non omnino segregati, quoniam eos nonnunquam monere, corrigere, et in incorrigibiles animadvertere potest: perbelle Alphonsus Sapiens *Leg. II. Tit. XII. Part. I. (*)* De hoc capite satis actum est *Lib. I. Tit. XV. et ult.* Duo hic tantummodo subnectenda: 1. Urbanum VIII. *Constit. XLIII. §. 14.* Episcopi potestate subjecta declarasse Monasteria omnia de novo erigenda, in quibus duodecim saltem religiosi non essent: adhæc et ex *Constit. Innocentii X.* quæ incipit *Ut in parvis*, Episcopo plenum jus esse in Conventus suppressos, et deinde restitutos, in quibus idem duodecarius religiosorum numerus non sit; tum et in nunquam suppressos, in quibus sex duntaxat Religiosi non degant. De parvis hisce Cœnobiis exstant duo Capitularia: alterum Caroli M. an. 784. quo decernitur, ut ab Episcopis supprimantur, atque in uno loco monachi simul congregentur, quo observandæ strictius regulæ habeant incitamentum. Alterum Ludovici Pii an. 817. jubet, ut in Prioratibus sint salem sex Monachi. Huic Capitulari consonat *Cap. fin. de Capellis Monachorum*, quæ de Prioratibus illud cavendum præcipiunt, ne monachi in iis habitent solitarii contra *statutum Generalis Concilii. Ideoque mandamus, quatenus ipsorum Abbates, seu Priores, ut vel ipsos ad claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deserviri per Clericos seculares, vel alios monachos eisdem adscient, cum quibus vitam possint ducere regularem, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam compellas.* (**). Tum *Syn. Trident. Sacrarum Virginum clausuram ab Episcopis tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis invisendam, tuendam, restituendamque voluit Sess. XXV. de Regularib. cap. 5.* id quod deinceps plura S. R. C. Decreta renovarunt. Insuper et in Hispania ex *Concordat. an. 1737.*

Art. XI. Metropolitan, Apostolici constituti sunt Visitatores Monasteriorum, domorumque Regularium, cum necessariis, et opportunis facultatibus. (*)

ARTICULUS III.

DE HOSPITALIBUS.

IV. Hospitalia propriè loca sunt suscipiendis hospitibus destinata, Græcis dicta *Xenodochia*: at eo nomine vulgò veniunt loca quælibet cujuscunque generis indigentibus hominibus sive alendis, sive educandis, sive sustentandis addicta: uti *Nosocomia* ægrotantium receptacula, *Ptochotrophia* pauperum domicilia, *Geronotomia* senum hospitia, *Brephotrophia* loca infantibus alendis, *Orphanotrophia*, orphanis educandis, *Pædotrophia* pueris instituendis comparata.

V. Hospitalium origo inter fideles æquè ac monasteriorum inde repetenda videtur, ex quo primum Ecclesiæ per Christianos Imperatores pax effulxit. Quamdiu enim imperium penes gentiles fuit, penes Episcopum pauperum, ægrotantium, hospitum, viduarum, virginum, aliorumque miserabilium hominum cura fuit; hos enim omnes simul in iisdem ædibus congregatos sustentare per tyrannos nunquam licuit. At ubi libertatem Ecclesia nacta est, uti qui desertis in locis latitabant cœperunt sibi monasteria construere, ita paullatim varia tum ab Episcopis, tum etiam et ab aliis exstructa sunt domicilia, ubi pauperes, ægroti, peregrini, senes &c. et majori commodo, et sumtu minori alerentur.

VI. Sæculo IV. jam plura per Ecclesias constructa fuisse hospitalia dubitare non possumus. *Greg. Nazianz. Orat. III.* Julianum Apostatam ridet, quippe qui infidelibus, Christianorum exemplum proponens, eosdem ad *Xenodochia* construenda adhortetur. Idem *Gregorius Orat. XX. Ptochotrophia* à S. Basilio extra urbem Episcopalem magnificentissime exstructa memorat. Tum *Xenodochium Romæ* à Pammachio, et *Nosocomium* à Fabiola excitatum refert Hieron. *Epist. ad Pammachium*, et in *Epitaphio Fabiolæ*. Demum *Theodoretus Lib. V. cap. 18.* Placillam Augustam Theodosii M. conjugem describit in Ecclesia *Xenodochii* ad abjectissima quæque ministeria sese demittentem.

VII. Secutis temporibus plerumque Canonicorum Collegia singula suum habebant Hospitalale: *Neap. Aquisgran. Reg. Canonic. cap. 141.* Tum quoque et monasteria, quibus vel ab ipsis suis conditoribus, vel ab aliis opes plurimæ conferri consueverunt, ut et monachi, et pauperes ex iis alerentur: *Espenius Part. II. Tit. XXXVII. cap. 1. n. 22.* Adhæc quædam hospitalia cum suis proventibus in capitula, vel monasteria aliquando sunt erecta, adjecto tamen onere hospitalitatem in pauperes exercendi. Verùm hac occasione hospitalia quodammodo extincta sunt, præsertim quum deinceps nimis parcè pauperes ad hospitium recepti fuerint. *Cathedralis Ecclesia Neap. sæculo IX.* suum habebat *Xenodochium* à S. Athanasio ædificatum; de quo Jo. Diaconus hæc habet: *Ordinavit Xenodochium in atrio prædictæ Ecclesiæ Cathedralis multis terris oblati, quatenus, et egenorum, et advenarum esset repausatio.* Videsis *Mazoch. de Cathed. Neap. in Anteloquio pag. 7.* quinimmo jam inde ab VI. sæculo plura Neapoli erecta fuisse *Xenodochia* mox videbimus.

VIII. Hospitalium, aliorumque piorum locorum regimen Episcopis adserit *Syn. Chalcedonen. Can. VIII.* et quidem ex antiqua Patrum traditione: id quod Justinianus non agnoscit modo, verùm et pluribus editis sanctionibus firmat, augetque: et quidem *1. Leg. XLII. §. 9. Cod. de Episcop. et Cleric.* decernit, ut qui hospitalibus præficiendi sunt, Episcoporum judicio probentur.

2. *Leg. XLVI. §. 3. ibid.* Episcopis jus tribuit in eorum, qui hospitalibus, aliisque locis piis præfecti sunt, administrationem inquirendi, non rectè administrantes corrigendi, atque adeo, si expediverit, expellendi; idque etiamsi hujusmodi præfecti ab ipsis fundatoribus fuerint designati.

3. Testatore Xenodochium simpliciter heredem scribente, nec designante in quodnam ex pluribus Xenodochiis bona sua erogari velit, hanc dubietatem Episcopis dirimendam relinquit Justinianus: *Leg. XLIX. Cod. eod.*

IX. Episcoporum in hospitalia potestatem, quam Justinianus tam luculenter adseruit, integram ipsis ad sæculum usque XIII. permansisse, tum ex multis constat, tum vel maxime ex Epistola Episcoporum è Synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum Pium ex *Can. XXIII. Synod. Rom. sub Eugen. II. an. 826.* ac denique ex Decretali Gregorii IX. *Cap. 3. de Religiosis domibus.*

X. Verùm sæculo XIV. hospitalium Præfecti sive Clerici, sive laici, ut liberiori in eorundem administratione facultate fruerentur, sensim ab Episcoporum potestate immunitatem adfectarunt: at hinc factum est, ut tantè opus misericordie, quod antiquis sanctissimis Episcopis, atque prope dixerim, ipsis Apostolis adeo cordi fuerat paulatim decideret. Namque ut rem hanc deplorant Patres Concilii Viennensis, *Præfecti illi proventus in suos usus convertentes hospitalia ipsa collabi, domus, et ædificia ruinis deformari, atque adeo pauperes, senes, ægros publicis in viis omni humana ope destitutos perire inhumaniter permittunt.* (**). In Hispania tota hospitalium cura Episcopis demandata erat, quam per Parochos, aliosque Ecclesie ministros impendebant, ut evincitur ex Syn. Vallisolei. *Cap. XIV. In locis, vit, ubi ad hoc sunt Domus aliqua deputate, Rectores, et Curati diligenter invigilent, ut Domus hujusmodi sic convenienter paratæ sint, quod hospitalitas ipsa, ad que deputatæ fuerunt, in eis debite observetur, et ad hoc Rectores ipsi per Ordinarios compellantur.* Et ex Constit. Syn. Guidonis Episcopi Helen. an. 1337. *Cap. V. aperte colligitur.* (*)

XI. Huic tanto malo occurrere studuerunt primùm ead. Synodus Viennensis *Clement. II. de Religiosis domibus*, dein et Concilium Trid. *Sess. VII. de Ref. cap. 15. et Sess. XXII. de Ref. cap. 8.* Quibus Tridentini Patres, et Constitutionem Viennensem renovarunt, et plura eandem rem spectantia de integro Decreta edidit; (**). scilicet, quod omnia Pia loca Episcoporum subsint visitationi, præter ea quæ sub immediata sunt Regum protectione, cujusmodi complures sunt in Hispania. (*)

XII. Jam verò Tridentina hæc decreta quum in Regno Neap. usu, moribusque peræque recepta non essent; quamobrem frequenter hisce de capitibus Ecclesiasticam inter, et Sæcularem Potestatem exoriebantur controversiæ: hinc in Concordato anni 1741. *Cap. 5. jus certum hac in re constitutum est.* Et quidem primò tria piorum locorum genera distincta sunt; scilicet 1. quæ sub Regum immediata protectione sunt: 2. quæ administrantur à Clericis: ac 3. demum, quæ laicorum regimini subsunt. De primis cavetur, ut in omnibus, etiam quoad spiritualia, ab Episcopi visitatione sint immunia. Porro *ibid.* ea duntaxat loca pia sub immediata Regum protectione esse declarantur, quæ vel Regiæ foundationis, aut dotationis sunt, vel in ipso foundationis limine sub illa recepta fuerint. Tum 2. alterius generis loca pia ab Episcopo æque in spiritualibus, ac in temporalibus prorsus invisenda constituuntur. Demum 3. quæ à laicis duntaxat administrantur, ea in spiritualibus tantummodo ab Episcopo visitari posse statuitur; ita tamen ut eorum administratores in singulos annos suæ administrationis debeant rationem reddere, nedum deputatis eorundem locorum piorum, verùm et personæ ab Ordinario

ad id designatæ. Ceterum de Jure Episcoporum in Hospitalia, aliæque loca pia videsis Ildephonsum Clementem de Arostegui in *Concor. Pastor. Part. II. cap. 2.*

XIII. De Hospitalium Præfectis jovat hic pauca subnectere. Antiquitus quidem Diaconis, vel Subdiaconis plerumque hospitalium curam fuisse concreditam, tum ex eo evincitur, quòd inde mutuato nomine nonnunquam Diaconie dicta sunt, tum quoque ex S. Gregorio M. qui haud semel in suis Epistolis Diaconorum, vel Subdiaconorum Diaconiis, sive Xenodochiis ministrantium meminit. Quinimmo in plerisque Diaconiis, sive Xenodochiis præter Diaconum regionarium, ei Diaconie primariò adfixum, fuisse et Subdiaconum item *Regionarium* nuncupatum, cui dispensatoris (qui græce æconomus, at in marmoribus Romanis modo villicus, modo dispensator vocatur) munus incumbebat: adhæc et Acolytos, tanquam infimos ministros Diacono subjectos demonstrat Mazoch. *de Cathedr. Neap. pag. 253.* Plures Neapoli jam inde ab VI. sæculo ejusmodi fuisse Diaconias, sive hospitalia Domus, dein sæculo IX. celeberrimo Athanasiano Xenodochio adnexas, ostendit Mazochius *ibid. et pag. 277.* id quod tum ex S. Gregorio M. colligi posse videtur, qui haud semel in suis Epistolis Diaconias Neapoli constitutas memorat, quas constat olim aliud non fuisse, quam hospitalia Domus, tum vel maxime ex Hospitalis Athanasiani Inventario *ibid.* à Cl. Mazochio illustrato.

XIV. Porro hæc dicta haud ita accipias, quasi nonnisi Diaconis hospitalium regimen antiquitus fuerit commissum. Namque et Justinianus Xenodochos, Nosocomos, Orphanotrophos memorat, quos Diaconos fuisse non probatur; et Gregorius ipse *Lib. III. Ep. 24.* eos Xenodochiis præficiendos jubet, *qui vita, moribus, atque industria inveniantur esse dignissimi;* tum subdit: *Religiosi duntaxat, quos vexandi Judices non habent potestatem.*

XV. Jam verò sequentibus sæculis plures exorti sunt Ordines Religiosi, quibus ex proprio instituto hospitalium cura incumbit; unde et dicti Hospitalarii. Hujusmodi fuere Hospitalarii S. Joannis Hierosolymitani, S. M. Teutonicorum, Calatravenses &c. qui postea in Ordines equestres, et militares commutati sunt: at de his satis *Lib. super. Tit. ult.* Demum sæculo XVI. ineunte S. Joannes de Deo Lusitanus Ordinem instituit ad officia Pietatis erga pauperes, præsertim infirmos, exercenda, quem Pius V. primùm confirmavit Constit. quæ incipit *Licet ex debito.*

ARTICULUS IV.

(**) DE LAICORUM CONFRATERNITATIBUS. (*)

(**) XVI. Monachorum Congregationes æmulasse visi sunt laici, quum Societates instituere cœperunt, quibus miserabilium hominum necessitatibus commodius prospicerent. Nulla potior via excogitari poterat, ut homines sæculi negotiis alioqui implicati, quodam veluti fraternitatis vinculo misericordie operibus obeundis constricti, à vitiis abhorrentes, religionem simul, et charitatem sectarentur. Verum ea est humanæ naturæ conditio, ut non diu neque res firmissimæ persistent, neque integerrime institutæ illibatæ permaneant. Unde Synod. Nannetens. an. circiter 890. *Can. XV. post recensitas abusiones, quæ in his recens invecis Confraternitatibus irrepserant, hæc decrevit: Pastos autem, et comessationes, quas Divina auctoritas vetat, ubi et gravedines, et indebitæ exactiones, et turpes, ac innanes lætitiæ, et rixæ, et odia, et dissensiones accidere solent, adeo penitus interdicens, ut qui contra hoc decretum agere præsumserit, si Presbyter fuerit, vel quilibet Clericus gradu privetur, si laicus est, aut femina ab Ecclesia usque ad satisfactionem separetur.* (*)

(**) XVII. Dein quædam institutæ sunt ad SS. Sacramenti, Deiparæ Virginis, et Sanctorum cultum promovendum; at novæ, multæque successu temporis institutæ societates, non ideo utiliores evaserunt. Improborum nonnulli pio Sanctorum nomine abutentes, machinandis potius criminibus, quam collendis Sanctorum festis inter se conveniebant. Quocirca Henricus IV. an. 1473. et Carolus V. an. 1534. Confraternitates omnes, nisi quæ piis exsequendis exercitiis erectæ fuerant, ac præcedente Ordinarii, et Regis licentia, extinguendas omninò esse, neque aliter de novo erigendas decrevere: *Leg. III. Tit. XIV. Lib. VIII. Novæ Recop. Quin et præf. Carolus an. 1552.* Societates omnes, etiam Regio confirmatas Decreto, quæ ex hominibus fabrilibus deditis exercitiis coaluerant, abolendas sanxit: *Leg. IV. eod. tit.* Confraternitatum tamen erectiones plurimum promovit S. Carolus Borromæus in Conc. Mediolan. II. III. et IV. quippè quæ tunc uberrimos in Ecclesia fructus efferre posse viderentur. Pius V. in Constit. *Ex debito*, Episcopos hortatur, ut Confraternitates ad puerorum institutionem erigere curent. Tum qui secuti sunt Pontifices, Confraternitatum erectiones Indulgentiarum, et privilegiorum concessionibus decorarunt. Nemo non videt hujusmodi societates, quæ proximorum subveniendis indigentibus institutæ sunt, utiles prorsus esse, si ex hominibus coalescant, qui Christi quærunt, non quæ sua sunt, et nisi fortè irrepserint abusiones à præf. Syn. Nannetens. damnatæ. Eæ quæcunque sint absque Regio, uti dictum est, adsensu erigendæ non sunt, et adprobatis ab Ordinario Constitutionibus. Clemens VIII. in Constit. *Quicunque*, et Syn. Valent. an. 1565. *Sess. IV. Tit. III. cap. 13.* alias 15. Imò visitari possunt ab Episcopo; nisi quæ sub Regum immediata protectione sunt: Trident. *Sess. XXII. Ref. cap. 8.* (*)

CAPUT DECIMUS SEXTUS.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ORIGINE, ET ACQUISITIONE.

I. Per tria priora Ecclesiæ sæcula dum tyrannorum debacchabantur persecutiones, Bona Ecclesiastica potissimum res erant mobiles ex collata fidelium symbola collectæ, quæ facillè adsportari, abscondi, vel distribui possent, uti frumentum, vinum, oleum, vestes pro pauperibus, atque etiam pecunia, qua ad victum necessaria parabantur: Justinus *Apol. I. in fine*, Tertullianus *Apol. cap. 39.* Profecto res immobiles periculis quam maximè erant expositæ; eas enim invadere sæviente persecutione gentilibus haud fuisset difficilè; neque Ecclesia de hac invasione apud iudices conqueri potuisset.

II. Hoc autem haud ita est intelligendum, quasi omne per illud temporis bonorum stabilium possessione Ecclesiæ caruissent: earum enim plerisque jam indè ab III. sæculo suas fuisse res immobiles, scilicet ædes, prædia, hortos, aliaque hujus generis tum ex aliis evincitur, tum vel maximè ex decreto Constantini, et Licinii an. 313. Eusebio *Vit. Const. Lib. II. cap. 39.* memorato, ubi inter alia sic decernitur: *Omnia, quæ ad Ecclesias visa sunt pertinere, sive domus possessio sit, sive agri, sive horti, sive quæcunque alia. . . . restitui jubemus.*

III. Jam verò reddita à Constantino M. Ecclesiæ pace Ecclesiastici proventus valde creverunt, ejusdem præsertim Imperatoris opera, qui in hanc rem duas edidit leges. Et quidem 1. decrevit, *ut eorum hæreditates, qui pro Christo martyrium, mortem, exilia, bonorum proscriptionem passi erant, vel ipsis redintegrarentur, vel eorum proximis, aut si proximi essent nulli, Ecclesiæ:* Euseb. *ibid. Cap. 35. et 36.* Tum 2. liberum unicuique permisit arbitrium quodcunque

vellet Ecclesiis donandi: *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo Catholico, venerabilique Concilio decedens, bonorum quod optaverit, relinquere:* *Leg. I. Cod. de Sacros. Ecclesiis.*

IV. Porrò qui Constantinum exceperunt Imperatores, hi etiam latis legibus redditibus Ecclesiasticis augendis plurimum contulerunt. Ac 1. Theodosius Junior, et Valentinianus priorem Constantini legem non confirmarunt modo, verùm ad hæreditates Clericorum intestatorum extenderunt; ut scilicet si nulli eorum superessent agnati, et cognati Ecclesiæ jure hæreditario deferrentur: *Leg. XX. Cod. de Episc. et Clericis.*

2. Templâ Gentilium, eorumque reditus nonnumquam Ecclesiæ ex Imperatorum liberalitate addicta. Honorius Imp. haud paucarum Constitutionum meminit, quibus hujusmodi reditus Ecclesiæ adjudicaverit: *Leg. XX. Cod. Theod. de Pagan. Sacrif. et Templ. Sozom. Lib. V. cap. 7.*

3. Hæreticorum etiam conventicula, et prædia ad eadem spectantia Honorius Imp. Catholicæ Ecclesiæ ditioni vindicanda præcepit: *Leg. LIII. Cod. Theod. de Hæreticis.*

4. Demùm ex Justiniani legibus, si qui Clerici, vel Monachi temporalibus instructi bonis, Ecclesia, vel Monasterio relicto, ad vitam redirent privatam, omnia ipsorum bona Ecclesiæ, vel Monasterio, ad quod spectarint, addicebantur: *Leg. LVI. §. II. Cod. de Episcop. et Cleric. et Novell. V. cap. 4.*

(**) 5. Hispaniarum Ecclesia, quæ prioribus Ecclesiæ sæculis voluntariis fidelium oblationibus pendebat Syn. Illiberit. *Can. XXVI.* donata quoque Clericis mercimonium exercendi venia ad victum exquirendum *Can. XIX.* jam indè à sæculo VI. res immobiles obtinuisse videtur. Id non obscure indicat Syn. Tarracon. an. 516. *Can. XII.* constituens siquidem, quod Clerici de intestati Episcopi defuncti bonis, id est *de utensilibus, vel de omni suppellectili* rationem accipiant, alia præter mobilia bona Episcopos habuisse profecto indicat. Sed expressius Syn. Tolet. II. *Can. IV.* his verbis; *Si quis Clericorum agellos, aut vineolas in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ causa. . . . post suum de hac luce discessum. . . . jus suum Ecclesiæ Sanctæ restituat.* (*)

V. Jam porrò illud quam maximè curæ erat Ecclesiæ, quum et bona mobilia, et fidelium oblationes reciperet, ut nihil inde damni præcipue filii familias paterentur. Et sane S. Augustinum nonnullas in præjudicium filiorum, parentum, vel adfinium Ecclesiæ relictas hæreditates repudiassè testis est Possidius in ejus vita *Cap. 24.* Id quod idem S. Doctor innuere videtur *Serm. 49. de vita Cleric. Quando donavi, inquit, filio, quod iratus Pater moriens abstulit, bene feci. . . . Quicumque vult exheredato filio hæredem facere Ecclesiam, querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imo Deo propitio neminem inveniat.* *Ibid.* Aurelii Ep. Carthaginensis factum commendat, qui cuidam ob enatos ei filios reddidit, quod ipsæ Ecclesiæ, filios nec habens, nec sperans, donaverat, tum subnectit: *In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.*

ARTICULUS I.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE.

VI. Bonorum Ecclesiasticorum supremus moderator semper in Ecclesia Episcopus habitus est: Canones sic dicti *Apost. Can. XXXVII. et XL. Conc. Antioch. Can. XXIV. et XXV. Cypr. Ep. 33. (**)* Syn. Tolet. III. *Can. XIX.*